



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.47. Theodori Epistolæ ad Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](#)

Inter Epistolas Theodori in carcere Saeculum IX.
scriptas reperitur quodlibet Monogra- A.C. 809.
phum, quo amicos suos designabat. Sunt I. ep. 41.
nempe Græci Alphabeti litteræ, quæ vi-
ginti quatuor Personas significabant. Al-
pha S. Platonem, Beta Archiepiscopum
Josephum, Gamma Calogerum, Delta
Athanasium, & sic de cœteris, indica-
bant, usque ad Omega, quam litteram
loco proprii nominis Theodorus ponere
solebat. Visuntur etiam nomina multo-
rum ex illis, ad quos Epistolæ dirigun-
tur, videlicet Athanasii, Nicolai, Arse-
nii, Basilii, Euprepiani, & illorum de qui-
bus in his Epistolis mentionem facit.

§. XLVII.

Theodori Epistolæ ad Papam.

Theodorus gravi persecutione pressus
ad Papam Leonem III. confugere
non omisit. Scripsérat ad eum ante exi-
lium suum Epistolam, quam Imperatoris
iram reveritus delevit; sed Epiphanius
Abbas, qui eam delaturus erat, cum e-
jusdem tenorem memoria retineret, se-
cundo conscripsit, & Theodoro in exi-
lium misso ad Papam detulit. Non ha-
bemus hanc Epistolam, sed primæ, quæ
ad nos usque pervenit, ab Eustathio de-
latæ hoc est initium: *Quandoquidem Pe-* I. ep. 33.
tro Magno Christus Deus Pastoralis etiam
Principatus contulit Dignitatem, ad Pe-

Yy 3 trum

Sæculum IX. trum utique vel ejus Successorem quid.
A.C. 809. quid in Ecclesia Catolica per eos inno-

vatur, qui aberrant a veritate, necess
est referri, ut a Patribus nostris accepi
mus. (*) Queritur deinde, duo Con
stantinopoli fuisse habita Concilia, pri
mum ad restituendum Oeconomum, al
terum ad illos condemnandos, qui in
eam rem consentire nollent, & subjun
git, Auctores horum Conciliorum sua
Decreta novam Hæresim docendo defen
dere, Declarat enim, inquit, adulterini
conjugii conjunctionem dispensationem
esse, in Regibus nihil posse Divinas Le
ges definiunt, eos qui pro Veritate ac
Justitia usque ad sanguinem resistunt,
Præcursorum & Chrysostomum imitari
negant, quemlibet Episcopum in Canones
potestate habere, atque ut libet, Pres
byteros depositos restituere posse promu
ciant. Subjungit: Possimus hodie Apo
stolicum illud dicere: nunc Anticristi

1. Jo. 2. 19. multi facti sunt, si Canonibus omnes ho
mines subditi non sumus. Et postea: Si
enim isti, arrogata sibi auctoritate, ba
reticam Synodum cogere veriti non sunt,
qui ne Orthodoxam quidem absque cogni
tione vestra (ut antiquitus mos obtinet)

(*) Eximum contra Protestantes, quod Vir
Sanctus & Ecclesiæ Constantinopolitanæ Decus
ante tot Sæcula edidit testimonium!
cogit.

cogere potuerunt, (*) quanto æquius ac Sæculum IX.
necessarium fuerit, ut aliud ad conde- A. C. 809.
mnandum errorem convokes? In fine ad-
dit, Epistolam a se solo fuisse scriptam,
eo quod Reclusus, id est, S. Plato, &
Archiepiscopus Thessalonicensis german-
nus ejus in aliis Insulis detinerentur.
Verum, inquit, ex ore meo loquuntur,
& mecum Sanctitatis tuæ pedibus advol-
vuntur.

Papa responsum dedit, quod interiit, 1. p. 34.
& Theodorus suo & S. Platonis nomine
data Epistola altera, quam Eustathius
detulit, gratias egit. In ea Adversarios
suos vocat Mœchianos, id est adulteri-
nos, nam *Moicbos* græce significat adul-
terium, & affirmsat ipsos esse Hæreticos,
quod matrimonium adulterinum Dispен-
satione legitimum reddere velint con-
tra præceptum clarissimum Legis & Ev-
angelii, & quod Canonibus superiores
se faciant. Gratias agit Papæ pro mis-
sis sibi donis magnificis, & inimicorum
calumniam a se amolitur dicentium,
quod Barsanuphum Esiam, & Doro-
theum Hæreticos reciperet. His ana- I. ep. 41.

Y y 4 thema I. ep. 35.

(*) Hæc verba rursus P. Balduinus ad hunc
locum lingua gallica ita refert, ut qui ipsum
Fleurum non legit, certissime crediturus sit, ea
ab ipso, & quidem mala fide, fuisse omissa. Qua-
lis hujus Patris Censura!

Sæculum IX. thema dicit utpote a S. Sophronio jam
A. C. 809. diu damnatis, & generatim Hæreticis
 omnibus. Accusationis hujus funda-
 mentum forte fuerit, quod haberet inter
 ceteros amicum, nomine Barsanuphum.

Eadem occasione Theodorus Epis-
 tolam dedit ad Basilium Abbatem Romæ
 existentem, cuius consilio Papa uteba-
 tur, & rogavit, ut bonam causam suo
 fulciat patrocinio.

§. XLVIII.

Collatio cum Papa ob vocem Fi- lioque.

Regin. an. 809. Eodem anno octingentesimo nono C.
odo. Chro. rolus Imperator Aquisgrani Conci-
 lium celebravit, in quo actum est de
 Quæstione, an Spiritus Sanctus a Filio e-
 tiam sicut a Patre procedat, quæ primo
 Jerosolymæ a Monacho, Joanne nomine,
 mota fuerat. Hujus ergo quæstionis de-
 finiendæ causa Imperator Romanus misit
 Bernardum seu Bernarium Episcopum
 Wormatiensem, & Adelardum Abba-
 tem Corbejensem deferentes Epistolam
 a Smaragdo Abate S. Michaelis, hodie
Mibel, in Diœcesi Virdunensi compo-
 sitam, in qua collegerat Textus Scriptu-
 ræ & Patrum ad demonstrandum, S. Spi-
 ritum æque a Filio ac a Patre procedere.
 Patres Ecclesiæ, quos citat, sunt sequen-
 tes: Sanctus Gregorius Papa, S. Cyrillus,
 S. Am-

*to. 7. Conc.
 p. 1199.*